DEO OPT. MAX. VNI ET TRINO, VIRGINI DEIPARÆ, ET SANCTO LVCÆ ORTHODOXORVM MEDICORVM PATRONO.

QVÆSTIO MEDICA

QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA.

IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS XXVI. IANVARII.

M. PETRO MORIAV Doctore Medico Præside.

Est ne mors à voluptate quàm à dolore citior? 1126

IGNIS in sinistro cordis specu velut in foco suscitatus vita est, nobilior atque diuinior eo qui inter obnoxia corruptioni corpora primas tenet, proportione respondet elemento stellarum, cui tanto præstantior, quanto ab intelligentiâ regitur simul & informatur, ex se nulloque extrinsecus impellente ἀκίνητος sedem tamen habet in spumoso & pingui, syncero & tenui, leuissimoque corpore, quo seu vehiculo celerrimè in auras abit & rapitur; hinc nobis vita breuis, veréque momenti vnius, nisi quod ἀεὶ διατελεῖ γινόμενος καὶ ῥέων ὥσπερ ποταμός, sed propter hujus effluuij conjunctæque reparationis celeritatem latet; hi motus mirâ paríque consensione sociantur, quâ vel minimùm solutâ, statim & ignis deperit natiuus & vita cum morte commutatur, quæ illius est corruptio, cum alius similis in pereuntis locum non substituitur: μάρανσις, σβέσις. Hæc βίαιον dicitur, illa φυσική: prior à contrario cum adeo inualescit vt coctione alimenti penitus præpeditâ alius non affluat cum effluit; posterior à se ipso cum in tantum adaugetur, refrigerationis penuriâ, vt citius effluat quam similis affluat. Vtraque certè cita, sed hæc illâ citior quòd ἰδιογενής contingat non ἀντιπεριστάσεως τῆς φύσεως.

VITÆ & morborum longitudo aut breuitas pendet & intelligitur ex collatione virium naturæ resistentis ac causæ cujus vis aduersæ, vim & interitum natiuo calori inferentis. Vitæ quidem longitudo cum illius vires firmæ & valentes, infirmi & debiles aduersantium causarum incursus, rari, breues; breuitas vero, citáque moriendi necessitas, cum languidæ; insultus aduersi validi, fræquentes, diuturni; sic valde crassi καὶ ἄναρθροι naturâ, non otio, non diætâ, sed insiti penuriâ caloris angustos habent naturæ lares, venas & arterias exiles, in ijs exiguum omnino sanguinem βορβόρῳ παραπλήσιον, spiritus admodum paucos, crassos, impuros, caliginosos, tetris inquinatos halitibus, νωθρούς, præclusos & immobiles, vires infirmas; celeriter moriuntur, vel leuem ob causam, multóque magis si vitæ ratio, occursantia, cæli solíque constitutio, qualis circa phasim, aduersa. In morbis, non ita: si ἰσόρροπον vtriúsque robur; morbi diuturnitas, tardior exitus: citior, si valde impar; naturâ plurimùm superante, ad salutem: ad mortem, morbo; adeo in motibus diuturnitatem parit resistentia patientis; fatiscente naturâ nec repugnante mors præsens; collatis vnâ ad perniciem vtriúsque viribus, præsentissima; non ante tamen quàm ista calamitas cor animæ vitæque sedem obsederit.

PRÆCEPS virium omnium lapsus συγκοπή, malum vetus, majoribus notissimum; appellatio recens, priscis incognita, rei significandæ apprime conueniens, quasi à corpore cordéque ipso inclusa discedat anima concisis repente quibus interse colligata videri poterant vinculis omnibus. In eâ aut pulsus nullus est, aut extremè rarus, & obscurus, corporis summa frigent, exoluto calore; tempora, ceruix, & thorax frigido sudore madent, disolutâ partium solidarum substantiâ; facies pallet, totúmque corpus quasi eneruatum jacet; mens sensúsque omnis deficit & motus, vix vt à cadauere viuum adhuc corpus discernas, motu duntaxat & calore conspicuum. Syncopem afferunt cordis affectus omnes, intemperies quæ jam multum increuerit, multóque magis ex humorum vitio orta, febris ardens & maligna, tumores, vulnera, vlcera, omnis quæ in os ventriculi inciderit grauis offensa; quæ tetro halitu spiritus corrumpunt, suffocant, exhauriunt; sæua animi symptomata, timor grauis & subitus, dolor atrox, sed maximè omnium præceps, impotens, & effrœnata voluptas, ex quâ constat plurimos protinus vitam exhalasse.

SENSVS vnusquisque rei objectæ præsentiâ & actione pulsatur ac sentit, vehementiâ dolet; oculus, nimio splendore; auris, aspero vehementíque strepitu; vnius autem tactus dolores ἐξαίρετοι, atroces, quia maxime omnium necessarius, crassissimus, & in compactiore materiâ positus, qualitates in quibus hic versatur efficaces, & ad corruptionem inferendam peridoneæ. Hæ si quando repente exuperent, siue exactam, quæ in tactu est, commoderationem euertant, siue substantiæ dirimant vnitatem, siue aliàs quouismodo vehementer feriant, protinùs corrumpent & dolorem commouebunt: quale est calidum, frigidum, graue, durum, acutum, asperum. Non ipsa noxiæ ac inimicæ qualitatis actio, non perpessio, non perceptio, sed quæ hinc protinus exoritur in apetitu affectio dolor est. Quæ citra hæc inimica sunt & horrenda tristitiam inferunt, dum instant; vtraque dum impendent subitum timorem & fugam; repulsionis spes si qua affulgeat, hic audaciam, illic iram, ex quibus nullus vnquam subitò interijt. Qualis ab his in animâ, talis in corde primùm, dehinc in vniuerso corpore, spiritibus & sanguine ab ea fit motio, tamque interdum vehemens, vt nulla vnquam similis extrinsecùs in corpore possit aduenire. Hinc magnæ & ad morbos, & ad mortes subitò inferendas opportunitates, sæuæque adeo & atroces, vt plurimi animi impotentiâ non ferentes sibi manus intulerint violentas, in quibus tamen vniuersim ejus qui patitur natura aut nihil omnino confert, aut totis viribus resistit ac reluctatur.

QVÆ rationem consequitur delectatio quandiu tranquilla animique cancellis continetur, gaudium; quæ se se effert exterius, lætitia: coporeæ delectationes τὴν τῶν ἡδονῶν κληρονομίαν εἰλήφασι, voluptates dicuntur: illæ, solis hominibus; hæ, brutis etiam animantibus nobiscum communes. Spirituales corporeis tantò majores quanto præstant animi bona bonis corporis, anima corpore, mens sensibus, præsentia rei quæ delectationem affert magis intima, perfecta, firma: intima quidem quia mens rerum naturas penitus perscrutatur, non ea duntaxat quæ extrinsecùs accidunt; perfectior, quia tota simul, nec ejus pars transit dum quæ sequitur expectatur, vt in delectationibus cibi, potus, veneris; firmior quia animi bona æterna non caduca. Quo ad nos, quæ sunt corporis eò vehementiores, quò ejus bona nobis notiora, majorem habent corporis mutationem conjunctam, & jucunda aduersus molestias omnes remedia. Illa quies est apetitus rationalis ex opinione boni præsentis. Hæc περσονικὴ αἴσθησις, ἢ ἐπάνοδος ἀθρόα ἢ αἰσθητὴ τοῦ σώματος ἀπὸ τοῦ παρὰ φύσιν εἰς τὸ κατὰ φύσιν ἄνευ βίας. Sua cuique sensui voluptas in est, & parti, tactui peculiaris & maxima, quâ sibi quisque prospicit & æternitati; quod apprime diuinum. Hinc in mare & fœmina commiscendorum corporum miræ libidines. Quæuis intra mediocritatis limites coercita maxime vtilis, necessaria; hæc vna, inter tot animi affectiones, vitam pollicetur longissimam, jucundissimam: cor, regium animæ, vitæ & caloris solium amplificat, extendit, viuificum ejus influxum, vnà cum calore, spiritibus & sanguine summâ liberalitate quoquouersum distribuit; quo velut diuino quodam nectare delibutæ partes, illustratæ facultates alacriùs operantur & perfectiùs, molestijs omnibus, quæ totâ vitâ quàm nimium multæ sunt, citò, tutò, jucundè medetur; præsertim in pueris, propter incrementum; decrementum, in senibus; in melancholicis, propter continuum ab atrâ bile corporis detrimentum. Mediocritatem si multùm excesserit, vita breuis, infinitis propemodum repleta miserijs & doloribus; cor viscerum solidissimum, densissimum & maxime constrictum, emollit, rarefacit, quoquouersum aperit, spiritus & sanguinem attenuat, fundit, dissoluit, liquat, virium omnium robur infringit, totumque corpus effœminatum, decoloratum reddit & frigidum. Si ingens, subita, inopinata fuerit, maximè si tristitiam consequatur, in pueris, senibus, mulieribus, alijsque ejusmodi effœminatis, ipsa sponte anima, calore, spiritu & sanguine comitata, magno impetu, & sui impotens quâ data porta ruit in amplexum jucundi attrahentis, dolore impellente, nullo resistente; tum non λειποθυμία, non præceps virium lapsus, sed momentaneus natiui caloris in proprio fonte marcor & mors ipsissima. 566

Ergo mors à voluptate quàm à dolore citior.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Ioannes Forestier.
M. Michaël du Pont.
M. Petrus de Mersenne.

M. Andreas Guyet.
M. Ioannes Garbe.
M. Paulus Courtois.

M. Claudius Germain.
M. Germanus Preaux.
M. Petrus le Comte.



Proponebat Lutetiæ NICOLAVS BONVARLET, Rethellinus, A. R. S. H. M. DC. LXII.